

1567

acerrimo illius hosti attulisset, injurias nequaquam inultas pati, sed armis vindicare statuisse; proinde petere, an Respublica, uti finitima, Principi opem esset allatura. Tum de Ufchocorum gente verba faciens, graviter damna, cladesque Turcis illatas exaggeravit; ni tot incommodis obviam iretur, Selymum classem, a qua debita de sceleratis praedonibus, humanique generis osoribus poenae sumerentur, in Adriaticum sinum missurum. Maria Venetae ditionis esse; quid agerent, accurate inspicerent; caloris vi sicca non modo, verum etiam quae in propinquo humida essent, absumi. Mox pacis conditiones minime servari a Venetis conqueritur, quibus cavetur, ut si qui piratarum conflata pugna superessent, Byzantium supplicio afficiendi transmitterentur, Senatusconsulto legato Patres respondent: Nulla unquam in re amicitiae jura, quae Venetis cum Ottomanis Regibus intercederent, laesa esse; quidquid pacis legibus contineretur, persancte, atque inviolate observari; nihil, quod ad piratarum insolentiam reprimendam attineat, praetermitti; absque discrimine in praedones, uti omnibus infensos, animadverti. Quod ad Ferrariensem spectaret, Principem juris sui esse, Maximiliano Imperatori affinitate junctum; officio impulsus, ut suppetias cognato afferret, bello Pannonico interfuisse. His haud obscure jam tum parum propensus, immo aperte infensus Selymi animus esse intelligebatur; cum praesertim a Jacobo Superantio Byzantio literae perferrentur, palam de Cypro invadenda sermones circumferri, Selymumque dum, vivente patre, Amasianam praefecturam gereret, saepius jactare assuetum; quamprimum regni gubernacula suscepisset, Cypriam expeditionem moliturum. Quamvis eodem ferme tempore Marinus Caballius legatus cum Byzantium pervenisset, perhonorifice supra morem quoque exceptus, atque ad Regem introductus, pacem eisdem, quibus cum Suleimano pacta fuerat, conditionibus sanxisset.

*Senatus res-
ponsum.*

*Jacobi Superantii li-
terae de Tur-
carum ru-
moribus Cy-
pri invaden-
dae.*

*Marinus
Caballius.
pacem cum
Suleimano
confirmat.*

*Marcus
Quirinus
classis lega-
tus.*

Verum Senatus minime barbaro Regi fidendum ratus, per-
vigili cura, ac sollicitudine ad maritimas res procurandas con-
versus, oppida validioribus munitionibus firmare; praesidia
militum augere; clari nominis duces in Illyricum, Epirum,
Cretam, Cyprumque mittere statuit. Philippo Bragadeno,
qui classis legati munere perfunctus fuerat, Marcus Quirinus,
vir